

probare volens tentationes Diaboli signo crucis facillimè repelli. per ciuitates autem Diaboli intelligi possunt homines infideles in quibus Diabolus libere regnat. Destruxit Christus has ciuitates, dum per totum mundum idola sustulit. De hac re Dominus loqui videtur, cum ait Luc. II. Cum fortis armatus custodit atrium suum in pace sunt omnia quæ possidet, si autem fortior superueniens vicerit eum, vniuersa arma eius auferet, &cæt. Cum diabolus custodiebat attium in pace erant omnia quæ possidebat, id est, cum infidelitatem conseruabat, securè possidebat omnia sua; quia dum homo est infidelis, semper est in manu Diaboli, etiam si moraliter benè viuere videatur, ut multi Philosophi aliiq; Ethnici faciebant. At atrio expugnato per Christum, id est, infidelitate sublata, & cognitione veri Dei introducta, omnia sua diabolus perdidit.

**VII.** Periit memoria eorum cum sonitu, & Dominus in æternum permanet.

In Hebreo, ut nunc legitur, non habetur cum sonitu, sed, cum iplis, ut sensus sit, perierunt impii, & cum ipsis periit etiam memoria ipsorum. Cæterum vox Hebraica potest legi, Hemma, & significat cum ipsis, potest etiam legi, Hama, & significat sonitum; & sic legerunt Septuaginta Interpretes, & addiderunt perspicuitatis gratia præpositionem, cum, & ideo verterunt, cum sonitu; sensus autem est, periisse memoriam idololatrarum, & ipsorum idolorum & totius Regni Satanæ cum magno strepitu, & sonitu. Repugnauit enim mundus totus, & ipsi summi Reges, & Imperatores totis viribus conati sunt idola defendere: sed quo magis mundus fremebat, eò magis idolatria cadebat, & memoria eius abolebatur. Denique finito strepitu persecutionum memoria quoque idolatriæ periit: Dominus autem Christus, & eius memoria nunquam peribit.

**VIII.** Parauit in iudicio thronum suum, & ipse iudicabit orbem terræ in æquitate, iudicabit populos in iustitia.

Post Christi mortem, & resurrectionem data est ei omnis potestas in celo, & in terra Matth. vltimo. Id hoc loco Dauid commemorat, quasi dicat, post certamen cum diabolo Dominus parauit, sive, ut sonat vox Hebræa, stabiliuit thronum suum in iudicio, id est, ad iudicandum, & ipse qui est Princeps Regum terræ, iudicabit orbem terræ, id est, populos omnes totius mundi, in æquitate, & iustitia. Idem est autem hoc loco æquitas, & iustitia, nam tam in Hebreo, quam in Græco, pro æquitate, habetur iustitia, pro iustitia habetur, rectitudo. Itaque Latinus Interpres non accepit æquitatem propriè, sed ut poni solet aliquando pro iustitia; & sicut in Hebreo, & Græco res eadē bis repetitur diuersis vocibus; ita credendum est, Latinum interpretem idem intellegi voluisse per æquitatem, & iustitiam. Dicitur autem Christus iudicare orbem terræ, quamvis multi sint in mundo Principes infideles, & impii qui contra Christum pugnant; quoniam corda eorum in manu Christi sunt, nec faciunt, nisi quod ipse iusto iudicio facere eos sinit.

Et factus est Dominus refugium IX. pauperi, adiutor in opportunitatibus in tribulatione.

Ex eo quod deinceps regnabit Dominus Christus, & iudicabit iuste, colligit Dauid magnam cōsolationem pauperum, qui alias à potentibus opprimi solent. quasi dicat, non timeant amplius pauperes, quia Dominus in celo sedens factus est refugium pauperum, & rursus id ipsum aliis verbis repetit, adiutor, inquit, pauperum in opportunitatibus, id est, temporibus opportunitis, quando videlicet necessitas id requirit, nimis in tribulatione. Tūc enim opportunitè diuinum præbetur auxilium, quando tribulatione urgemur, & deficit humana consolatio. Adimpletur autem hæc promissio in omnibus, qui Deum vere querunt, & timent, & ideò subiungit.

Et sperent in te qui nouerunt no- X. men tuum, quoniam non dereliquisti quærentes te Domine.

Mutatio